Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

genuit Eleazar: Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Ioseph, uirum Mariæ, de qua natus est Ihesus: qui uocatur Christus. Deo gratias.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam. i.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: et nomen Virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit. Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus: quæ cum audisset, turbata est in sermone eius: et cogitabat, qualis esset ista Salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, et paries filium: et uocabis nomen eius Ihesum: hic erit magnus, et filius altissimi uocabitur. Et dabit illi Dominus deus sedem Dauid patris eius: et regnabit in domo Iacob in æternum: et regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud: quoniam uirum non cognosco. Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, et uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; et quod nascetur ex te sanctu: uocabitur filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa